

tate suffultis, ne aliquas hujusmodi causas reasumere, vel ad se avocare, aut aliquem præmissa de causa debitorem ad eos recurrentem audire, vel admittere, nec se in illas contra præsentium tenorem, etiam prætextu quorumcumque facultatum, & privilegiorum eis concessorum, etiam ex Officio, & ad cuiuscumque instantiam, vel alio quovis modo ingerere, seu immiscere, minusque ipsos Aromatarios, aut eorum Universitatem, aut Collegium hujusmodi in aliquo super præmissis molestare, vel impedire, seu molestari, aut impediendi- bus favere audeant, vel præsumant.

§. 17. Decernentes præsentis literas nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel causa, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, in jus, vel controversiam vocari, aut adversus illas quodvis juris, vel facti, aut gratiæ remedium impetrari posse, sed semper, & omni tempore contra, & adversus quascumque impugnaciones, validas, & efficaces existere, suosque effectus fortiri, & obtinere. Ac ita præmissis omnibus per supradictos, nec non alios quoscumque Superiores, & Iudices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, nec non S. R. E. Cardinales, sublata eis, nec non eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, in quavis causa, & instantia judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 18. Non obstantibus præmissis, nec non Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis sub quavis forma, & expressione verborum conceptis, necnon prædictæ Urbis juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, necnon Indultis, atque literis Apostolicis eidem Urbi, ac dilectis filiis Populo Romano, necnon Gubernatori, Senatori, & Vicario Urbis, atque Auditori Camere Apostolicæ hujusmodi, necnon aliis Iudicibus, Superioribus, & personis, ac Locis Piiis, illorum quoque Administratoribus sub quibuscumque tenoribus, ac formis, nec non cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, atque aliis efficacioribus, & insolitis clausulis, ac efficacissimis, irritantibus quoque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam Motu simili, necnon ex certa scientia, atque de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam iteratis vicibus necnon alias quomodolibet, & quandocumque concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua, necnon expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset,

tenores hujusmodi, perinde ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, necnon forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter & expresse harum serie derogamus, necnon derogatum esse volumus, & decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 19. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, innovationis, concessionis, roboris, adiectionis, mandati, suppletionis, Statuti, ordinationis, concessionis, Indulti, inhibitionis, interdicti, singulorum Decretorum derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, tertio Kalend. Januarii, Pont. nostri Anno V.

Sanctio personalis.

Dat. P. An. V. die 30. Dec. 1596.

CXLII.

Prohibet Gubernatoribus Hospitalis Sanctissime Annunciatæ Civitatis Neapolitanæ, quominus Legata, & alia relicta dicto Hospitali, in usus præter mentem Testatorum infundant.

Ex Regest. in Secret. Breve.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem in his auctoritatis sue partes libenter interponere, per quæ Legata, & bona pias Locis a fidelibus relicta conserventur, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

§. 1. Accepimus siquidem, quod cum Hospitali Sanctissime Annunciatæ Civitatis Neapolitanæ a diversis fidelibus eorum Hereditates, & bona sive per viam Testamenti, sive Donationis, aut ex contractu, vel alias diversimode relinqui, & donari soleant, ea lege, ut ex eorumdem bonorum fructibus pars in pia opera distribuatur, & pars in commodum dicti Hospitalis in emptionem Censuum, aut bonorum stabiliū convertatur: Quia vero interdum ob ejusdem Hospitalis necessitates, illius Gubernatores, parte dictorum fructuum, quæ in alios usus destinata est, in usus dicti Hospitalis utuntur, & pro ejus restitutione postea alios redditus ejusdem Hospitalis alienare coguntur in non modicum ejusdem Hospitalis præjudicium, quo etiam fit, ut alii Christiani sui bona aliis Locis Piiis potius, quam dicto Hospitali relinquunt.

§. 2. Quare Nos ejusdem Hospitalis commodo, & utilitati, ut par est opportune providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, modernis pro tempore existentibus dicti Hospitalis Gubernatoribus, Officialibus, & Ministris quibuscumque sub pri-

Exordium.

Causa prohibitionis.

Prohibitio.

privationis officiorum, quæ obtinent, ac inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda, nec non indignationis nostræ pœnis interdicimus, & prohibemus, ne quacumque parte fructuum, bonorum, & hereditatum prædicto Hospitali, tam hæcenus relictorum, quam deinceps relinquendorum contra, & præter voluntatem Testatorum, & Legatariorum, aut Donatariorum, etiam pro necessitatibus ejusdem Hospitalis, uti possint, vel audeant, sed fructus ipsos, & quascumque illorum partes juxta dispositiones eorumdem Testatorum, Legatariorum, & Donatariorum convertere, & erogare omnino curent. Et nihilominus, qui secus fecerint, illos ad restitutionem de suo proprio teneri volumus, & statuimus. Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac ejusdem Hospitalis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis eidem Gubernatoribus, Officialibus, vel Ministris in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die 7. Januarii 1597. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

CLXIII.

Decernit Provisores, & Procuratores Hospitalium Regiæ in Oppido Balnearum, & Regis in Civitate Colimbriensis, qui uno triennio Provisoris, seu Procuratoris Officio perfuncti sunt, ad idem Officium, non nisi post integrum sexennium eligi posse.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. CUM sicut accepimus Provisores Hospitalium Regiæ in Oppido Balnearum, & Regis in Civitate Colimbriensis, necnon Procuratores, qui vulgo Almoxarifex ibi dicuntur, ex Canonicis Secularibus Congregationis S. Joannis Evangelistæ in Regnis Portugallie sub Regula, & habitu Sancti Georgii in Alga Venetiarum instituta eligi soleant, eorumque Officium ad triennium daret, maximeque expediat, ut qui dicto Officio uno triennio sunt perfuncti, non possint ad idem Officium iterum immediate eligi.

§. 2. Nos propterea fel. regimini dictorum Hospitalium providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, harum serie perpetuo statuimus, & ordinamus, ut qui uno triennio dicto Provisoris, seu Procuratoris Officio perfunctus est, ad idem Officium, nisi post lapsum integrum sexennium de novo eligi non possit, ac irritum, & inane existat, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Quo circa dilectis filiis ejusdem Congregationis Generali, & Canonicis per præsentis committimus, & mandamus, ut Statutum, & ordinationem nostram hujusmodi, ut decet, perpetuo observent, & observari curent.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & Congregationis, ac Hospitalium prædictorum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris die 12. Februarii 1597. Pontificatus nostri Anno Sexto.

1597. Decernit Clemens integrum sexennium interlabi debere.

Generali, & Canonicis mandat Decretum hujus executionem.

Contraria tollit.

Dat. die 12. Febr. 1597. An. VI.

CXLIII.

Collegiales Collegii Medicorum Civitatis Mediolanensis creantur Comites Palatini, & Auratæ Militiæ Equites.

Ex Regest. in Secret. Breve.

Dilectis filiis Doctoribus Philosophiæ, ac Medicinæ Collegii Civitatis Mediolanensis.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecti filii salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Romanus Pontifex gratiarum suarum dona illis libenter impertiri consuevit, quorum pietas, & Religio, singularique in Apostolicam Sedem fides, & devotio nota, & perspecta est.

§. 1. Sane, cum, sicut accepimus, ex dispositione Statutorum vestri Collegii, quæ antiqua sunt, quicumque in illud admitti petierit, antequam receptatur, suæ familiæ in Civitate Mediolanensis nobilitatem, & antiquitatem saltem a centum viginti annis, & ipsum, aut ejus parentes artem aliquam vilem nunquam exercuisse, probare teneatur, super quibus diligenter, & accurate inquiri consuevit; Et præterea pietatem christianam tenere, & Catholicæ fidei cultum profiteri; doctrinam vero publicis aliquibus experimentis, ut puta disputationibus, manifestare, & ostendere debeant; cumque propterea Collegium vestrum inter cætera Philosophiæ, & Medicinæ Doctorum Insularum Collegia valde insignis, & illis quodammodo exemplar esse videatur; Et

Exordium.

Collegiales juxta statuta experimentis nobilitatis, & doctrinæ facere teneantur.

Comites La-
teranenses, &
Aurata Militie
Equites
creantur.

Cum privile-
giis.

Insignis.

Et esse pro-
pria.

* Superaddere
debetur, vel
quid simile.

Obstantium
delegatio.

Dat. die 23.
Febr. 1597.
An. VI.

Et ulterius Vos magno erga Apostolicam Sedem fidei, & devotionis studio tenemini.

§. 2. Idcirco idem Vestrum Collegium, ac Vos specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, supplicationibus vestro nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, vos universos, & singulos, ac quoscunque alios, qui posthac perpetuis futuris temporibus in idem vestrum Collegium admittentur, ex nunc Sacri Palatii Apostolici, & Aula Lateranensis Comites, & Aurata Militie Equites auctoritate Apostolica tenore presentium, sine tamen alicujus personæ, vel alterius cujusvis Collegii præjudicio, creamus, facimus, & deputamus, ac aliorum Palatii, & Aula prædictorum Comitum, & Aurata Militie Equitum hujusmodi numero, & consortio favorabiliter aggregamus, ita ut Vos ex nunc, futuri vero Collegiales vestri Collegii, eo ipso, quo in Collegium hujusmodi admissi fuerint, Palatii, & Aula hujusmodi Comites, & Equites auratæ Militie veri, non ficti in perpetuum existatis, ac omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, exemptionibus, favoribus, gratiis, & Indultis, quibus alii Palatii, & Aula Comites, & Aurata Militie Equites hujusmodi de jure, & consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum (citra tamen facultates, & exemptiones a Concilio Tridentino sublatis) pariformiter sine ulla prorsus differentia, uti, frui, potiri, & gaudere possitis; Nec non ut moderni, & pro tempore existentes dicti Collegii Abbates in perpetuum eorum Officio durante, Torquem aureum cum effigie, nec non Insignis Pontificiis, ac gentilitiis Domus nostræ, sine pariter alicujus personæ, vel Collegii præjudicio deferre: Vos vero, ac prædictum Vestrum Collegium Vestimentorum, quibus Bidelli inducuntur, rubrum, vel alium colorem honoris causa arbitrio vestro eligendum libere, & licite valeatis, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus, Statutis quoque, & consuetudinibus etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris die 23. Februarii 1597. Pont. nostri Anno Sexto.

CXLV.

Erectio Collegii pauperum Puellarum, & Monasterii Monialium in Oppido Civitatis Angelorum Tlaxcalan. Diocesis in Indiis Occidentalibus.

Ex Regest. in
Secr. Breve.

CLEMENSE EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Superna dispositione, cujus inscrutabili providentia ordinationem suscipiunt universa, super eminenti Apostolica dignitatis specula, meritis licet imparibus, constituti, ad ea, per quæ Collegia pauperum Puellarum Virginum, nec non Monasteria Monialium cum Religionis propagatione, ubilibet erigantur, & erecta salubriter dirigantur, libenter intendimus, ac quæ propterea pro necessariis puellarum, & Monialium hujusmodi alimentis, & alias pie, & religiose per Venerabiles Fratres Nostros Episcopos, & alios Ecclesiarum Prælatos proinde dicuntur ordinata, Apostolica confirmationis munimine roborantes, fideles ipsos, ut lapsus suos piis operibus emendare, & Sacra Loca devote visitare facilius assuecant, Indulgentiis, & peccatorum remissionibus ad id nonnumquam invitamus, aliasque disponimus, & in his nostri Pastoralis Officii partes favorabiliter impertimur, prout locorum, & personarum qualitate pensata, in Domino conspiciamus salubriter expedire.

§. 1. Sane pro parte Ven. Fratris nostri Didaci Episcopi Tlaxcalensis in Indiis Occidentalibus Maris Oceani, quæ nova Hispania vocatur, Nobis nuper exhibita petitiō continebat, quod alias, postquam qu. Joannes Baranco Incola Oppidi Civitatis Angelorum nuncupati Tlaxcalen. Diocesis, in humanis agens pia devotione ductus, ut terrena in Ecclesiastica, & transitoria in æterna bona felici commercio commutaret, decreverat, quod de certa parte bonorum sibi a Deo collatorum in dicto Oppido unum Collegium, in quo pauperes Virgines ad instar Collegii in Civitate Mexicana ad eum finem instituti, alerentur, fundaretur, & dotaretur: ipseque Joannes, qui postmodum condens de bonis suis in ejus ultima voluntate Testamentum Collegium præfatum in omnibus ejus bonis heredem universalem instituit, ordinaverat, quod ultra idem Collegium simul cum eo unum Monasterium Monialium ex proventibus, ac bonis ipsius Collegii, quæ ejus judicio huic oneri sufficere videbantur, prout revera sufficiebant, ad Omnipotentis Dei laudem erigeretur, & constitueretur; Et deinde dictus Joannes pro directione, & gubernio hujus tam pii, & laudabilis operis ab initio dilectos filios Senatam, Rectorem, & ipsosmet Senatores dicti Oppidi, uti Collegii, & Monasterii construendorum hujus-

Pontificis sollicitudo procurandi Monasteriorum, & Collegiorum pauperum Virginum fundationes.

Joannes Baranco Monasterium Monialium, & Collegium Virginum in Oppido Civitatis Angelorum suo ore erecta & dotata.

Directioni, & gubernio Senatam d. Oppidi committitur.

Postmodum jurisdictioni, & regimini Episcopi Tlaxcalensis supposit.

Data et facultate Confusionem pro eis condendi.

In Monasterio duodecim Moniales recipiendas esse jussit.

Et in eis recipiendis prælationem Virginibus Collegii a se erecti tribuit. Episcopus ita que locum Monasterio designavit.

* sic.

Titulus J. M. & Regulam S. Hieronymi dedit.

Clausuram posuit.

Interdictio inter Moniales, & Virgines Collegii commercio.

jussimodi Patronos deputasset; attamen paucos post dies existimans præfatum Didacum, nec non successores suos pro tempore existentes Episcopos Tlaxcalen. huic muneri melius incumbere posse, Senatam, Rectorem, ac Senatores præfatos, quos in Patronos prius addixerat, revocaverat, ac illorum loco pro provido gubernio Collegii, & Monasterii construendorum hujusmodi Didacum, & successores suos Episcopos Tlaxcalen. hujusmodi Patronos, & defensores nominavit; Et insuper voluerat, quod idem Didacus Episcopus omnimodam potestatem Statuta, Capitula, Constitutiones, & ordinationes condendi, præscribendi, utraque exequendi, quæ ad directionem, & gubernium eorumdem Collegii, & Monasterii construendorum conducere judicaret, & quæ idemmet Joannes in præcedentibus documentis illorum occasione editis, sibi reservaverat, haberet: nec non quod dictum Monasterium numero duodecim Monialium tantum constaret, ac etiam, quod in earum receptione, & ingressu Virgines ex præfato Collegio, quæ se Deo dicere, idemque Monasterium ingredi vellent, præferrentur, præfatus Didacus Episcopus, facultate sibi sic attributa utens imprimis, quod dictum Monasterium Monialium eidem Collegio sic fundato contiguum, & incorporatum foret, adhaereretque parieti illius horti, videlicet in ædibus a via publica, quæ dicitur a foro Porticu, & Conca prædicti Oppidi ad Plateam Hospitalis Immaculate Conceptionis Beate Mariæ Virginis juxta angulum confinem Domui dilectorum filiorum Hæredum quon. Joannis Limiga existentibus ad hoc per dictum Joannem Fundatorem * Cuentis, ac inibi edificaretur Domus sufficiens cum Ecclesia, Sacratio, Choro superiori, & inferiori, Claustro, Dormitorio, Operatorio, Novitiatu, & reliquis omnibus Officiis in similibus Monasteriis, & Collegiis fieri solitis, & opportunis: quorum Monasterii, & Collegii invocatio, Titulus, & Denominatio esset DE JESUS MARIA; Ordo vero ipsius Monasterii, & Regula, quam illius Moniales observare deberent, Beati Hieronymi essent: denique Moniales ad formam, normam, & regularia Instituta cæterarum dicti Ordinis Monialium, & illius Generali subditarum, sed tamen sub obedientia, & Jurisdictione Ordinarii Loci se accomodare deberent: ac tam Monasterium eligendum, quam illius Moniales hujusmodi Septis, & Clausura congruenti, etiam ad invicem munirentur, ita ut ne Porta quidem, aut ingressus eisdem Monialibus, ut ad dictum Collegium accedere possent, permitteretur: Quinimo nullum cum Virginibus Collegio adscriptis commercium haberetur, nisi speciali licentia a Sede Apostolica desuper obtenta. Præterea idem Didacus Episcopus attendens Testatoris voluntatem, & expressam dispositionem, videlicet, quod in dicto Monasterio erigendo duodecim tantum adessent Moniales, quæ, & proventibus, & bonis ipsius Collegii alii deberent,

prout istud onus eidem Collegio imposuerat, statuit, ut de tempore, quo Monasterium constructum, & debita Clausura munitum, ac in illo Moniales introducenda forent ex ipsa Virginibus in hujusmodi Collegio degentibus secundum ordinem, & prælationem a dicto Joanne Fundatore præscriptam assumerentur, nisi Religionem ingredi recusarent, quo casu alie Virgines pauperes, & honestæ, & spectatæ virtutis ad arbitrium Patroni eligerentur; Ut autem tolleretur occasio discordiarum inter Virgines Collegio adscriptas, & Deo dicatas, seu Moniales ratione portionis eidem Monialibus præstandæ, voluit ipse Didacus Episcopus, ut pro victu, & vestitu ipsarum Monialium, ac Servis & Ancillis, nec non Medico, Chirurgo, & Pharmacia, ac demum pro Cera, Vino, & Oleo ad cultum divinum necessariis, dilecti filii Præfati, seu Præsides dicti Collegii pensionem annuam mille, & quingentarum librarum monetæ communis illarum partium, quæ inibi vernacule pesos dezupusque vocatur, summam nonigentorum & viginti ducatorum auri de Camera, vel circa constituen. penderetur, distæque pensionis solutio quarto quoque mense pro ejus rata fieret, ac ea mediante Collegium præfatum nihil ultra Monasterio, & Monialibus prædictis debeatur: cæterum quia iste duodecim Monialium numerus ita exiguus videbatur, ut a tam paucis divina munia rite adimpleri nequissent, præsertim si e dicto numero tres Moniales pro instructione, institutione, & moderatione Virginum in Collegio prædicto existentium educerentur, ac in ipso Collegio retinerentur: declaravit ultra, & præter istas duodecim Moniales aliquas alias honestas Virgines in prædicti Monasterii erigendi Moniales admitti, & recipi debere, soluta tamen certa pecuniarum quantitate in earum elemosynam, ut moris est aliis illarum partium Monialium Monasteriis: quandoquidem hac ratione istud Monasterium erigendum hujusmodi subsidii suffultum firmiori stabilitate subsisteret. Ne tamen numerus Monialium sic recipiendarum in immensum excreceret, indeque confusio, aut nimium gravamen Monasterio erigendo inferretur, mandavit, ut usque ad triginta duas Moniales cum elemosynis tantummodo admitterentur, quibus adiectis etiam illis duodecim, quæ de bonis eidem Collegio ad hoc a prædicto Joanne fundatore relictis alerentur, explebitur numerus quadraginta quatuor Monialium, quarum quadraginta cum Abbatisa, seu Priorissa, uti Choro adstrictæ, divinis Officiis continuo vacare poterunt, & reliquæ tres Moniales gubernio Virginum Collegiatarum Præfate earundem institutioni vacabunt. Porro, quia dictum Collegium tenebitur Monialibus Domum sufficientem, & capacem subministrare, ipsaque Domus pro habitatione dictarum triginta duarum Monialium ultra eas, quas dictus Joannes Fundator destinavit, ampliari debebit, ne exinde eidem Collegio gravamen inferatur ultra-

Pensionem a Collegio Monialibus solvendam statuit.

Alias triginta duas Moniales induxit rationibus hic indicatis.

Aliæque constituit, quæ recensentur.

Forma in re-
cipiendis no-
vis moniali-
bus servanda.

Suffragia pro
fundatoris a-
nimam per Mo-
niales explen-
da.

mentem, & voluntatem Joannis Testatoris hujusmodi, idem Didacus Episcopus intuitu hujusmodi ampliationis adificii statuit, & ordinavit, quod Monasterium quatuor millia librarum dictæ monetæ juxta taxationem, & moderationem peritorum eidem Collegio pendere debeat, ipsumque Collegium hanc summam ex pensione Monialibus ut supra præstanda, per certa temporis spatia quolibet anno excomputare poterit: Si vero contigerit, ut Monasterium ultra limites ædium ad hoc destinatarum, ampliandum, ac proinde circumvicinæ Domus coemendæ forent, ea cura Monasterio erigendo, & ejus Monialibus, non autem Collegio hujusmodi incumbat, ad hæc omnia, quia a Monasterio Monialium Sancti Hieronymi Mexican. dicti Ordinis avocandæ erunt sex Moniales ad Regularem. Observantiam in hoc novo Monasterio erigendo introducendam, præcepit, ut istæ sex Moniales in numero earum duodecim, quas dictus Joannes Testator instituit, computentur; reliqua vero sex ex Virginibus in eodem Collegio existentibus assumantur, & adveniente obitu earumdem statim de ipso obitu ad ipsas Virgines denunciatio fiat, ut ex eis in mortuorum locum ad Monasterium erigendum in Moniales, intra triginta dierum terminum transferri possint: quo quidem termino transacto, Ordinarius, uti Patronus, locum, seu loca vacationum, aliis Virginibus, si in prædicto Collegio vivant, si non, ad præscriptum tamen prædicti Joannis Fundatoris, libere assignet. Verum ad hujusmodi vacationes in primis ea ratio habenda erit: Ut Virgines de parentela ipsius Joannis Fundatoris in Collegio prædicto degentes, ceteris omnibus Collegiatis præferantur: quibus quidem Virginibus de parentela Joannis Fundatoris hujusmodi existentibus Religionem in eodem Monasterio profiteri renuentibus, animadvertendum erit, an talis Monialis defuncta ex conterraneis, seu Compatriotis ipsius Joannis Fundatoris erat, & tunc alia conterranea sibi subrogetur: Si vero ipsa defuncta ex Civitate, vel Diocesi Tlaxcalen. oriunda, aut alias qualificata fuerit, alia Virgo, quæ demortuæ qualitatem habeat, ac representet, sibi substituat: relicta tamen Patrono electione in eventum, quod plures puella concurrerent. Postremo, ut ipse Moniales erga præfatum Joannem Fundatorem, ejusque memoriam gratas se exhibeant, constituit, quod ultra Missas pro ejus Animæ refrigerio ratione Cappellaniæ, aut alias celebrandas, eadem Moniales quatuor alias Missas quolibet Anno solemniter Ritu, adhibitis Diacono, & Subdiacono videlicet earum unam intuitu Denominationis Monasterii erigendi ejusmodi, & eam quidem ipsa Dominica infra Octavam Epiphaniæ, ac cum concione, alteram vero post transfigurationis Dominicæ festivitatem, tertia quoque post festum Sancti Hieronymi, & quartam Missas solennes hujusmodi post Commemorationem omnium Defunctorum, & hanc quidem ulti-

mam pro salute Animæ ejusdem Joannis Fundatoris celebrari facere. Illæ vero duodecim Moniales, quæ de bonis Fundatoris alentur, quolibet hebdomada, in remedium Animæ ipsius Joannis Fundatoris Coronam Beatæ Virginis Mariæ, videlicet septies Orationem Dominicam, ac sexagesies, & ter Orationem Angelicam recitare debeant: & hæc quidem circa Monasterium erigendum, & Moniales illud ingressuras. Quo vero ad Collegium Puellarum idem Didacus Episcopus ejusdem Joannis Fundatoris voluntati inhaerendo, ista, quæ sequuntur, Capitula, & ordinationes observari mandavit: & primo quidem, ut in Collegio solummodo Virgines Pauperes, & Orphanæ ex patribus Hispanis ortæ, non autem, ut vulgo fertur, Mestizæ, Quarteronæ, aut Mulatæ, neque Conjugatæ, aut Viduæ admittantur; & quando contingeret circa paupertatem istarum Virginum hæsitari, id arbitrio solius Ordinarii servato Juris ordine, relinqueretur, ita tamen, ut diligenter attendi debeat, ne quod in subventionem pauperum destinatum est, ad divites deveniat: Orphanas vero Puellas eas voluit etiam intelligi, quæ solo Patre forent orbatæ, subdens eas ante decennium expletum, vel postquam decimum quartum earum ætatis annum absolverint, recipi non debere, ipsas autem inibi spatio octo annorum, & non ultra remanere, immo nec ante id tempus egredi voluit, nisi antea, vel Religionem ingredi, vel nubere decreverint; atque interim quo in dicto Collegio educabuntur, eisdem ultra victum, Lectum, & Vestitum de bonis ipsius Collegii præstabitur, ita tamen, ut omnibus idem sit vestiendi modus: utentur itaque Muliebri Tunica ex panno, vel Sago ejus coloris, quo Moniales ibi præpositæ in earum Palliis, & Scapulariis, seu Capistris utentur, deferentque lorricam ex panno lineo, nec non reticulum amictorium etiam lineum, quod sub mento applicetur, & donec decimum quartum annum expleverint, calceis non autem crepidis utentur, sed eis ex tunc crepidas, & clamidem simplicem supradicti coloris gestare licebit: Et quamvis habita ratione ad annum redditum bonorum per ipsum Joannem Fundatorem relictorum speretur, quod in isto Collegio usque ad viginti quatuor Virgines alii poterunt, istæque numerus eidem Collegio præfigatur; attamen quia pro adificio Collegii, nec non Ecclesiæ, & Monasterii eligendi hujusmodi complures sumptus faciendi erunt, statuit pariter, quod opere adificii consummato, statim ab initio, usque ad octavum annum, iste numerus viginti quatuor puellarum non adimpleretur, sed tantum quindecim, ex quibus sex in Moniales Monasterii erigendi hujusmodi destinabuntur, reliquæ vero novem Puella ita erunt Matrimonio collocandæ, videlicet tres primæ sexto, aliæ vero tres septimo sequenti, & reliquæ etiam tres Puellæ, octavo annis nuptui tradantur. Porro eleemosyna erit quadringentarum librarum dictæ monetæ, dummodo tamen Col-

De Collegio
Puellarum.

Qualitates ad
mittendâ.

Tempus quo
ibi permane-
re debent.

Vestes.

Numerus.

Dos unicuique
danda.

Col-

Collegio, & Monasterio erigendo hujusmodi superint redditis ad Virginum, & Monialium sustentationem sufficientes, & unicuique Puellæ, si contrahat Matrimonium, si Religionem profiteatur, dicta eleemosyna assignabitur, ac in ipsa assignatione, ratio antiquitatis, cuilibet attendenda erit, nisi ex aliqua causa impedire videatur, ut una, vel plures Virgines, totum tempus octo annorum in dicto Collegio adimpleant: tunc enim eis prætermittis, reliquis Puellis subvenire licebit, dummodo ordo prærogativæ, seu successione alioquin servetur, liberaque omnibus sui maneat potestas nubendi intra tempus suæ Collegiaturæ: & quoties ob hanc, vel alias causas, loca admittendarum Puellarum vacabunt, seu vacua fuerint, Restorissa, seu Præposita pro tempore existens Collegii hujusmodi id Ordinarius, uti Patrono denunciare tenebitur, ad hoc videlicet, ut per edictum ad Ecclesiæ Cathedralis, & ipsius Collegii valvas vacatio omnibus innotescat, & peracto ab inde sexaginta dierum termino, novæ Virgines in Collegium juxta ejusdem Joannis Fundatoris præscriptum, recipi possint. Effluxis igitur istis octo annis tres ex prædictis Virginibus in Collegio degentibus singulo quoque anno Matrimonio collocabuntur, vel si magis eis ex voto sit, Religionem ingredientur, assignata earum cuilibet eleemosyna quadringentarum librarum: earum autem Virginum, quæ nubent, Maritus in Dotali Instrumento sub forma Juris valida obligationem præstare teneatur, quod si virgo sibi nupta absque filiis decesserit, totam eleemosynam Collegio restituet: si tamen eveniret, ut aliqua ex dictis Virginibus sic conjugatis eo paupertatis reducta foret, ut post ejus obitum non suppeteret, unde impensa ejus funeris fieret, tunc, & eo casu, liceat Marito superflui ex eleemosyna, usque ad centum libra eo nomine expendere; nec ipsæ Maritus teneatur eidem Collegio ultra trescentas libras remanentes restituere: Quod quidem etiam circa prædictas novem Virgines, quæ ab initio Matrimonio collocabuntur, servandum, ita tamen, ut unicuique suæ prioritatis, & antiquitatis ratio habeatur, & subsequenter ad majorem Oppidi, & Collegii prædictorum commoditatem, & utilitatem præfatus Didacus Episcopus etiam statuit, ut ultra numerum prædictarum Virginum Collegio adscriptarum possint admitti, & recipi alia Virgines honestæ, quæ se educationi prædicti Collegii credere voluerint, dummodo pro earum alimentis ad arbitrium dicti Ordinarii, quod justum ei visum fuerit, persolvant: Quæ quidem Virgines quamdiu voluerint in ipso Collegio degere, possint; nullaque ætatis consideratio habeatur, dummodo tempore, quo huic educationi se crediderint, septimum earum ætatis annum expleverint, habentque, & eis assignari debeat Dormitorium a reliquis Virginibus Collegio prædicto adscriptis segregatum, in quo una ex tribus Monialibus, quæ illi pro tempore assistent, dormiet.

Episcopus cõ-
cessit ut ibi
aliæ Virgines
in educatione
admittantur.

Bull. Rom. Tom. V. Par. II.

Omnes quæque istæ Virgines, sive adscriptæ, sive educationis causa inibi admittæ pro tempore, quo ibidem assignabitur, opus suum ad utilitatem ipsius Collegii conferant, & si ultra hoc tempus illis remanserint, pro ceteris laborare poterunt: Quodque eadem Virgines sic educandæ in earum vestitu nigro colore, vel albo, aut fuscio utentur, idemque vestitus debet esse honestus non tamen sericis, aut aureis utentur torcularis in velaminibus, ac vestibus, considerantes, se in Religiosarum Domo, honeste, & moderate in omnibus præbere debere. Hæc autem omnia Restorissa, seu Præposita Collegii hujusmodi pro sua prudentia moderetur. Quod si contigerit, ut aliqua Virgo Collegio præfato adscripta in aliquo excesserit, vel tale crimen commiserit, ut expelli, jureque Collegiaturæ privari debeat, ea causa cognita, & examinata in Judicio subiacet: plenior tamen occasio in Virgine solius educationis causa in eodem Collegio commorante sufficiat, ut ab inde expellatur: Sed omnibus Virginibus æqualis erit ratio, si aliqua infirmitate contagiosa laboraverit, quæ communitati nociva videatur. Quia autem peritile, & necessarium est, ut Virgines sub Clausuris, & septis alantur; prædictus Didacus Episcopus similiter decrevit, ut Puellæ eidem Collegio adscriptæ toto tempore, quo in eo resederint, clausuram servant, nec eis ab eo, nisi nubendi causa, egredi liceat, & si quæ clausuram violaverit, loco suo privetur, & altera Virgo in eo subrogetur: Ceteræ quoque Virgines eandem clausuram servabunt, nec eis ullatenus egredi licebit, nisi aliqua graventur infirmitate, quo casu recuperandæ salutis causa ad Domos Parentum, aut propinquorum, sub quorum cura fuerint, se recipere licebit: id ipsum quoque in Ancillis, & famulabus Collegii hujusmodi observetur, quibus non permittetur egredi, vel ingredi septa dicti Collegii, nisi de illius Patroni pro tempore existentis expressa licentia. Ut autem Virgines præfate commodius instituuntur, tam in his, quæ ad rei cultum, & bonos mores spectant, quam etiam ad exteriorem urbanitatem, quandoquidem hoc ipsum verbis, & operibus docere oporteat, ac perfectius, & sine pretio aliquo tam ab ipsis Monialibus, quam secularibus Mulieribus ibidem id exequi poterit, præfatus Didacus Episcopus præcepit, quod obtenta prius ab Apostolica Sede desuper licentia, cura, & regimen totius Collegii hujusmodi tribus Monialibus ex Monasterio erigen. ad arbitrium, & electionem Patroni assumendis commendetur: quarum quidem Monialium primæ Collegio prædicto præseat, & in eo primum obtineat locum, ac Restrix vocetur: Altera sit Janitrix, & Turnaria: Tertiæ vero Monialis hujusmodi, uti omnium Virginum Magistra eas legere, scribere, cantare, & laborare decebit: Ac etiam quod omnes pro arbitrio Patroni Collegio hujusmodi assistent, ac ab ipso mutari, & removeri poterunt, prout in Domino duxerit salubri-

Modus corripiendi, expellendi, & eligendi cul-
pabiles.

Clausura etiam
in Collegio
servanda.

Cura Collegii
tribus Monia-
libus demandata.

Earum officii
quale esse de-
beat.

T

lubri-

Cadaver Joannis fundatoris ad Ecclesiam Collegii transferendum; & suffragium ejus animae a Praelate perfolvere.

Missae in eadem Ecclesia singulis diebus celebranda.

Episcopus Tlaxcalensis

lubriter expedire, ita tamen, ut ad hunc effectum Moniales etiam ex Civitate Mexicana transferri facere, vel ex isto Monasterio erigendo assumere, immo etiam quartam Monialem, si opus fuerit, addere valeat, idque obtenta ab eadem Sede licentia, quae si ab initio, aut alias impetrari nequeat; tunc huic muneri Matronas seculares spectatae virtutis, nominis, & probitatis, ac quadragessimum suae aetatis annum paulo plus, vel minus agentes praeficere licebit. Postremo ex quo dictus Joannes Fundator in ejus Testamento statuit, ut si ejus Cadaver in Majori Ecclesia d. Oppidi sepeliretur, illud ad Ecclesiam Collegii hujusmodi, postquam edificata foret, transferretur, idem Didacus Episcopus pie ejus voluntati inherens, ordinavit quod statim, ac Ecclesia sic edificanda, ad hoc idonea videretur, eadem voluntas executioni demandaretur: In tumulum vero, ac Sepulturam praedicti Joannis Fundatoris primum Sacellum Ecclesiae nulli alteri deinceps concedendum concessit, & assignavit, volens, ut in eo illius bustum lucuosum collocetur, quod mandavit operiri ferialibus nigro panno vulgari, festivis vero, & solemnibus diebus alio panno, etiam nigro, sed sericeo ex redditibus bonorum Collegii hujusmodi emendo; Cujus quidem Collegii Virgines tam adscriptae, quam educationis causa in eo degentes, Missam solemnem singulo quoque Anno pro salute Animae Joannis Fundatoris hujusmodi celebrari facien. eidemque Missae, prout edocta fuerint, ministrabunt, & eam quidem ultra eam, quam Moniales celebrare tenebuntur, altera die post Commemorationem Defunctorum, ad has porro Missas celebrandas Collegium praefatum suppeditabit sex Cereos, seu faces super dicta Sepultura accendendos: rursus istae Virgines affare debeant supradictis quatuor Missis solemnis, quarum celebrationis cura Monialibus quot annis incumbit, ac interim Deum pro salute Animae Joannis Fundatoris hujusmodi deprecabuntur: ultra quod unaquaeque ex eisdem Virgibus eidem Collegio adscriptis singulis hebdomadis saltem semel Coronam Sacratissima Virginis Mariae scilicet sexagesies, & ter orationem Angelicam, & septies orationem Dominicam recitare debent, nec non, ut omnes Virgines, tam Moniales, quam aliae in praedicto Collegio degentes singulis diebus Missam audire possint, praeter illas quatuor Missas ratione Cappellaniae per praefatum Joannem Fundatorem in ipso Collegio institutae, alias tres Missae, videlicet duae pro salute Animae Joannis Fundatoris hujusmodi, tertia Dominicis diebus pro toto Conventu, & Collegio celebrabitur, ac intuitu celebrationis earundem trium Missarum, certa elemosyna ex bonis ipsius Collegii ad arbitrium illius Patroni Sacerdoti, seu Sacerdotibus, qui eas celebraverint, & ibidem Sacramenta Ecclesiastica ministraverint, erogabitur.

§. 2. Quare pro parte Didaci Episcopi Nobis fuit humiliter supplicatum quatenus

Statutis, Constitutionibus, Capitulis, Ordinationibus, & Decretis, aliisque praemissis robur Apostolica confirmationis adferre, ac juxta illorum praescriptum Collegium, & Monasterium Monialium hujusmodi erigere, & instituere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur, qui religionem ubique, ac singulorum Christianorum devotionem, pietatis quoque, & virtutum opera nostris potissimum temporibus propagari sinceris exoptamus affectibus, eundem Didacum Episcopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innotatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, nec non Testamenti, & Codicillorum per dictum Joannem Testatorem tenores etiam veriores, & datas, nec non bonorum per eum relictorum situationes, qualitates, quantitates, verosque etiam annuos valores praesentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula Statuta, Constitutiones, Capitula, Ordinationes, Decreta, aliaque praemissa Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque perpetuae, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omnesque, & singulos, quos illa concernunt, & concernent quomodolibet in futurum, ad illorum observationem teneri, & obligatos existere, ac omnibus Juris, & facti remediis cogi, & compelli posse. decernimus: Supplices omnes, & singulos, tam Juris, quam facti defectus, si qui quomodolibet intervenerint in eisdem.

§. 4. Et insuper ad formam, normam, & praescriptum Statutorum, Constitutionum, Capitulum, ordinationum, & Decretorum hujusmodi in praefato Oppido unum Collegium Virginum, unumque dicti Ordinis Monasterium Monialium sub eadem denominatione Jesus Maria cum Ecclesia, & campanili humili, ac campanis, necnon sacario, Coemeterio benedicto, Dormitorio, Refectorio, Claustro, Hortis, Hortaliis, & aliis officinis necessariis pro usu, & habitatione Virginum, & Monialium ut supra recipiendarum, & admittendarum, quae praemissa omnia exequi, & adimplere, ac Moniales ipsae Regularibus dicti Ordinis Instituti se conformare debeant, ac tam illae, quam reliquae Virgines inibi sub Jurisdictione, cura, visitatione, & correctione Ordinarii loci, etiam uti Collegii, & Monasterii construendorum hujusmodi Patroni altissimo famulentur, auctoritate, & tenore praefatis sine alicujus praedjudicio, etiam perpetuo erigimus, & instituimus.

§. 5. Illisque sic erectis, & institutis pro eorum Dote omnia, & singula a dicto Joanne Fundatore ad hunc effectum relictas, bona, proprietates, & Jura, nec non praesentibus

praedicta omnia per nos confirmari.

Confirmat Clemens.

Erigit itaque Monasterium, & Collegium de quibus in Rubrica.

Bona a Joanne fundatore donata, ceteraque impostum acquiritur, eis applicat.

subsidia per pro tempore inibi recipiendas Virgines, & Moniales, aliosque Christianos ibidem elargienda, eroganda, & donanda, eisdem auctoritate, & tenore similiter perpetuo applicamus, & appropriamus.

Concedit omnia privilegia, quibus cetera ejusdem Ordinis Monasteria, Domusque fruuntur.

§. 6. Nec non Collegio, & Monasterio construendis hujusmodi, illorumque Ecclesiae, seu Cappellae, ac in illis pro tempore degentibus Virgibus, Abbatissae, Monialibus, illisque fervientibus, ac etiam eorum rebus, juribus, & bonis universis praesentibus, & futuris, omnibus, & singulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, Immunitatibus, exemptionibus, praeminentiis, favoribus, prerogativis, concessionibus, Indultis, Indulgentiis etiam plenariis ac peccatorum remissionibus, ac aliis universis gratiis spiritualibus, & temporalibus, quibus alia similia Virginum Collegia, nec non Monasteria dicti Ordinis, ac eorum Ecclesiae, & in eis degentes Virgines, Abbatissae, & Moniales, illisque fervientes, ac eorum jura, res, actiones, & bona de jure, Statuto, usu, consuetudine, privilegio, ac alias quomodolibet utuntur, fruuntur, possunt, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, pariter, & pariformiter, ac aequae principaliter, & absque ulla prorsus differentia in perpetuum etiam uti libere, & licite possint, auctoritate Apostolica, & tenore praedictis de speciali gratia indulgemus.

Episcopus Tlaxcalen. Patronum Monasterii deputat cum facultate nova etiam condendi statuta;

§. 7. Ac insuper, ut Collegii, & Monasterii construendorum hujusmodi prospere regimini, & gubernio, ac directioni opportune consulatur, dictique Joannis Fundatoris voluntati satisfiat praefatum Didacum modernum, ac pro tempore existentem Episcopum Tlaxcalen., & Sede Episcopali vacante dilectum filium Vicarium a dilectis filiis Capitulo Tlaxcalen. rite deputandum in Patronum, & spirituales defensores eorumdem Collegii, & Monasterii construendorum cum omnibus, & singulis facultatibus ad id necessariis, & opportunis, ac etiam solitis, & consuetis aequae perpetuo auctoritate, & tenore similibus constituimus, & deputamus, sibi quae ultra praedicta, quae ab eis, etiam inviolabiliter observari debeant, quaecumque alia Statuta, Ordinationes, Capitula, & Decreta ad Collegii, & Monasterii constituendorum praedictorum, nec non eorum personarum, rerum, & bonorum spiritualium, & temporalium curam, regimen, gubernium, & administrationem, victum, amictum, instructionem, & disciplinam Virginum, Abbatissae, & Monialium in illis pro tempore degentium circa modum, & formam recitationis Divinorum Officiorum, precum, orationum, & aliorum suffragiorum pertinentia, ac alias necessaria, & utilia, ac Sacris Constitutionibus, Decretisque Concilii Tridentini, & Instituti regularibus praedicti Ordinis, ac etiam Statutis superius expressis non contraria faciendi, & edendi, ac quoties pro rerum, & temporum qualitate, seu alias Bull. Rom. Tom. V. Par. II.

expediens videbitur, illa immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, ac etiam alia ex integro condendi.

§. 8. Nec non pro Monialium in dicto Monasterio construendo noviter introducendarum felici directione, ac in Ritu, moribus etiam, regularibus Institutis, instructione sex ejusdem S. Hieronymi si id commodum fieri poterit, alioquin alterius Ordinis Regularis Observantiae Moniales, quas ad id voluntarias repererit, ex uno, vel pluribus etiam Civitatis Mexicanae, aut aliis Monasteriis, hac prima vice, seu necessitate ad hoc urgente semel, atque iterum de Superiorum suorum licentia assumendi, & in Monasterio per praesentes erecto, ita ut illae ibidem se transferre, ac perpetuo, vel ad tempus eidem Ordinario loci benevolum permanere, & si alterius Ordinis fuerint, & in habitu, & Regularibus Institutis ejusdem Ordinis S. Hieronymi conformare possint, & debeant introducendi: pro doctrina vero, institutione, educatione, nec non directione morum, ac gubernio Virginum in dicto Collegio pro tempore degentium tres Moniales etate, moribus, & rerum peritia conspicuas ex Monasterio per praesentes erecto, postquam illud sufficienti Monialium numero fulcitum fuerit, in idem Collegium, ubi illae ex tunc quoad vixerint, seu ita Ordinario loci expedire visum fuerit, resideant, ac praedictis Virgibus, ipsique Collegio, una videlicet pro Rectrice, altera vero pro Magistra, & tertia pro Assistente, ac alias juxta praescriptum dictorum Statutorum possint, introducendi, & eis, seu earum aliqua, vel aliquibus de ceteris, vel ad Monasterium ipsum redeuntibus alias illius Moniales eorum loco sufficiendi, ceteraque omnia alia, & singula ibidem faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, procurandi, & exequendi, quae similes Patroni, & etiam generales Ministri, alique Superiores quorumcumque Ordinum in Monasteriis Monialium sibi subiectis de jure, vel consuetudine, seu ex privilegio, vel auctoritate dicti Concilii, ac alias quomodolibet facere, gerere, exercere, procurare, & exequi possent, & poterunt quomodolibet in futurum plenam, liberam, & omnimodam facultatem, potestatem, & auctoritatem: Itidem auctoritate, & tenore similibus, etiam perpetuo concedimus, & elargimur: irritum quoque, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, etiam decernimus.

§. 9. Postremo ad augendam, tam Virginum Collegii, & Monialium Monasterii construendorum hujusmodi, quam ceterorum fidelium religionem, devotionem, & animarum salutem eisdem Virgibus, & Monialibus, quae vere poenitentes, & confite, ac Sacra Communionem refectae, Collegium, & Monasterium praedictum ingrediendi, die prima earum ingressus, ac tam illis, quam universis, & singulis utriusque sexus Christianis vere poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communionem refectis, qui

Hac prima vice sex Moniales ex aliis Monasteriis selectas illuc introducendi;

Et tres in Collegium Praefatum.

Ceteraque omnia facienda quae aliorum Ordinum Superiores suis in Monasteriis facere possunt

Indulgentias Ecclesiae, seu Cappellae Monasterii &c. applicat.

qui Collegii, & Monasterii prædictorum Ecclesiam, seu Cappellam, postquam constructa, & consecrata fuerit tam ipsius consecrationis quam deinceps in Dominica infra octavam Epiphaniæ, & S. Hieronymi, ac S. Paulæ festo um diebus a primis Vesperis usque ad occasum solis singulorum dierum festorum huiusmodi annuatim devote visitaverint, ac inibi pro nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis felici statu ac S. R. E. exaltatione, illiusque inimicorum depressione, infidelium conversione, hæresum extirpatione, ac inter Principes Christianos inunda, & conservanda pace, concordia, & unione, vel alias, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, quocumque ex diebus prædictis id pro tempore fecerint, plenariam omnium, & singulorum peccatorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino auctoritate, & tenore præfatis pariter perpetuo etiam concedimus, & elargimur.

Præsentium
exequutores
deputat.

§. 10. Quocirca dilectis filiis curiæ caularum Camera Apostolicæ Generali Auditori, nec non Decano, & Archidiacono Ecclesiæ Tlaxcalen. per Apostolicam scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios presentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Didaci Episcopi, & pro tempore existentium Patronorum prædictorum, seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem literas, & in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari, ac Didacum Episcopum, & pro tempore existentes Patronos præfatos illis pacifice frui, & gaudere: Non permittentes ipsos, vel eorum aliquem desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari: Contradiatores quoslibet, & rebelles, per sententias, censuras, & poenas, aliæque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis, servatis processibus, sententiis, censuras, & poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria
tolle.

§. 11. Non obstantibus fel. record. Bonifacii PP. VIII. Prædecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam Civitatem, vel Dioecesim, nisi in certis expressis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suæ Dioecesis ad Iudicium vocetur, seu quod Iudices a Sede Apostolica deputati extra Civitatem, vel Dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel alii vices suas committere audeant, vel præsumant, ac in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad Iudicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,

nec non Monasteriorum, & Ordinis huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quocumque, Indultis, & literis Apostolicis eisdem Monasteriis, & Ordini, ac illorum Monialibus sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, etiam per nos, irritantibusque, & aliis Decretis quomodolibet, etiam per Nos, & Sedem eandem concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret: Illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi mentionem, & quibuscumque aliis privilegiis, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenoribus existant, per quæ præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis. Volumus autem, quod si aliqua alia Indulgentia fuerit per Nos eidem Ecclesiæ, seu Cappellæ concessa, literæ ipsæ quoad Indulgentiam huiusmodi sint nullæ, nulliusque valoris, & momenti existant. Et insuper ex nunc etiam irritum decernimus, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum absolutionis, approbationis, confirmationis singulorum Decretorum, suppletionis, erectionis, institutionis, applicationis, approbationis, Indulti, Constitutionis, deputationis, singularumque concessionum, elargitionum, mandati, derogationis, voluntatis prædictorum infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo sexto Nono Kalendas Martii Pontificatus Nostri Anno sexto.

Dat. die 21.
Februarii 1597.
An. VI.

Ere-

CXLVI.

Ex Regest. in
Sec. brev.

Erectio Domus ad Ecclesiam S. Mariæ de Scala in Regione Transtiberim de Urbe pro Fratribus Carmelitis Discalceatis Italianæ, quæ quidem Domus una cum Conventu S. Annæ, & Monasterio Monialium Januen. disjunguntur a Congregatione Hispanica ejusdem Ordinis, & immediate Romano Pontifici subijciuntur.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sacrarum Religionum in Ecclesia Dei pie, sancteque institutarum propagationem, & incrementum, sincero desiderantes affectu, ea libenter concedimus, quæ ad propagationem, & incrementum huiusmodi salubriter in Domino conspiciuntur expedire.

Causæ conce-
denz Do-
mus, de qua
in Rubrica.

§. 1. Sane cum in Italia præter Monasterium, seu Collegium S. Annæ Januen., nullum aliud extet Monasterium, neque Conventus, aut Domus Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum nuncupat., qui Ordo ad primitivæ Regulæ Ordinis Carmelitarum præscriptum in Regnis Hispaniarum institutus, sanctitatis fama redolet, ac suaves in Vineâ Domini, ad Populorum ejus salutem, & spiritualem consolationem, fructus affert: Cumque si in Alma Urbe nostra alia ejusdem Congregationis Domus erigeretur, magnos propterea fructus ad Dei laudem, & animarum salutem inde proventuros esse, sperandum sit:

Concessio.

§. 2. Nos Ordinem ipsum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & quorumcumque Privilegiorum, Indultorum, concessionum, & gratiarum, tam spiritualium, quam temporalium eidem Ordini Fratrum Carmelitarum, etiam per modum communicationis, & extensionis, ac alias quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam concessorum, ac Literarum Apostolicarum desuper expeditarum tenores præsentibus pro expressis habentes, supplicationibus dilecti filii nostri Dominici Tituli S. Gryfoni Presbyteri Cardinalis Pinelli nuncupat. totius Ordinis Fratrum Carmelitarum apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, inclinati, unam Congregationis prædictæ Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Domum in Urbe prædicta in Ecclesia S. Mariæ de Scala, in Regione Transtiberim sita, vel in alia Ecclesia, in quacumque Urbis Regione posita, per ipsos obtinenda, ad Dei laudem, & ipsius Congregationis propagationem, separatam tamen, & divisam, ut infra, a prædicta Congregatione Hispaniarum, perpetuo, auctoritate Apostolica, tenore præsentium erigimus, & instituimus, ac in ipsa Domo, Ordinem Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, perpetuo introducimus, ac ipsius Domus pro tempore Religiosis in perpetuum, ut habitu, & Regula, at-

que Institutis præfata Congregationis Hispaniarum, citra tamen illius subjectionem, in omnibus, & per omnia se conformare, ac illius Statutis, & Constitutionibus per Nos sub die 29. Februarii Anni 1592., Pontificatus Nostri Anno primo, confirmatis, nec non quibuscumque privilegiis, Indultis, concessionibus, exemptionibus, Immunitatibus, prærogativis, favoribus, Indulgentiis, & aliis gratiis, tam spiritualibus, quam temporalibus, supradictæ Hispaniarum Congregationi, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis, aut alias quomodocumque concessis, confirmatis, & innovatis, uti, ac frui, & gaudere, perinde, ac si eidem Domui per Nos erectæ, ejusque futuris Religiosis nominatim concessæ fuissent, possint, & valeant, ac debeant, concedimus, & indulgemus, ac mandamus, statuimus, & ordinamus.

Communicatio Privilegio-
rum, quibus
gaudet Congregatio Hispanica.

§. 2. Eandem tamen Domum, nec non etiam prædictum Monasterium, seu Collegium S. Annæ Januen., nec non Monasterium Monialium de Jesu Maria nuncupat. ejusdem Ordinis Civitatis etiam Januen. cum omnibus juribus, & pertinentiis eorum, ex nunc ab omni subjectione, obedientia, superioritate, & dependentia Præpositi generalis, & Consultæ, ac cæterorum Religiosorum Congregationis prædictæ Hispaniarum, posthac perpetuo eximimus, separamus, & segregamus, ipsamque Domum Urbis, & Collegium, seu Monasterium Sanctæ Annæ, ac Monasterium Monialium de Jesu Maria Januen. prædicta invicem unimus, & incorporamus.

Exemptio ejusdem Domus, Collegii Sanctæ Annæ, & Monasterii Monialium de Jesu Maria Januen. a superioritate Præpositi Generalis dictæ Congregationis Hispaniarum.

§. 4. Eaque a Congregatione Hispaniarum prædicta, ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum separata, & sejuncta esse, itaut Congregatio prædicta in ea nullam habeat jurisdictionem, superioritatem, aut actionem, nec ulla inter eos communicatio sit, aut esse censetur, neque in Capitulis, electionibus, aut aliis quibuscumque actibus tam publicis, quam privatis ipsius Congregationis Fratres in Domo, & Monasterio, seu Collegio prædictis, nec vicissim Domus, & Monasterii, vel Collegii prædictorum Fratres in Congregatione prædicta vocem activam, & passivam habeant, aut aliquo modo se intromittant. Domumque Urbis præfata, & Collegium, seu Monasterium Sanctæ Annæ, nec non Monasterium Monialium de Jesu Maria Januen., Nobis, & Apostolicæ Sedi immediate subiecta, sub protectione dicti Dominici Cardinalis, quamdiu vixerit, absque alia dependentia, subjectione, & subordinatione, aliorum quorumcumque tam Ordinis Carmelitarum, Mitigatorum nuncupat., quam etiam aliorum Carmelitarum Discalceatorum ubicumque tam in Italia, quam extra in quacumque mundi parte existentium, existere, & esse, ac fore: ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel

Et ab eadem Congregatione separatio.